



1. Nun. Joseph der rechte friend. K.C. Matth. 1, 18.
2. De Immanuelle offenth. 1, 23, 23.
- De Exodus 1. Joh. 11, 2.
3. De amicta beghste. Matth. 3, 4. Mr. 1, 6
4. De ueth. Beghste. Mt 3, 4. Mr. 1, 6
5. Curas Sieg morte. Mt 5, 14.
6. De bedroefenis arca Eleemofynes. Mt. 6, 2
7. Getrouw. Arment. Vornit. Mt. XV, 9.
8. De signis temporum. offervandis. Mt. 16, 1 - 4
9. De knief. Petrik Karp. Et. Mt. 16, 13 - 19. Incy.
10. Tu es dy. fley. d. invente. Mt. 16, 16.
11. De clarke. Et. Mt. 16, 19.
12. De auertate. Et. Joh. & Lg. Mt 16, 19
13. De Diablos. Et. solutio. Mt 17, 24.
14. Signis de offensie. u. rima. Mt 20, 1 - 16
15. Et. Et. congregatiu. solentie. Mt 23, 37.
16. Christus hert. De hec conu. Engt. Mt 24, 14.
17. De otdagis Et. Mt. 24, 28
18. Uter sanguinis. Et. 27, 3 - 11.
19. Tumb. feratours. Mt. 27, 6.
20. De Ant. Judas. Et. Mt. 28, 1. Mr. 16, 2.
21. De curau. mortis p. olen. Sanct. Mr. 6, 13. Ies. V, 14.
22. De Incarnationi Mysteriis. Lur. 1, 35
23. De Maryja Et. pr. servata.
24. De rote lsg. Lur. 2, 21
25. De uenta abst. peccator. Lur. 7, 47, 48
26. Agobriges. Lur. 8, 13.
27. Et. curau. Sablonth. Lur. XV.
28. De Mamona myopiche. Lur. XVI, 9
29. De lrsen. Lur. 16, 9
30. . . . . Lur. 16, 9.
31. De Laerijns Et. Lur. XII, 41.
32. Vd. in glades accountz. Lur. 22, 14th

88

R

31a. 33

DISPUTATIO THEOLOGICA  
SUPER  
VERBA CHRISTI AD PETRUM,  
**SIMON, SIMON,**  
**ECCE SATANAS EXPETI-**  
**VIT VOS, UT CIBRARET**  
**SICUT TRITICUM, SED EGO RO-**  
**GAVI PRO TE, NE DEFICIAT FIDES TUA: ET**  
**TU ALIQVANDO CONVERSUS CQN.**  
**FIRMA FRATRES TUOS,**

*Luc. XXII, 31, 32.*  
OPPOSITA  
INFALLIBILITATI, SIVE NON ERRANDI PRIVILEGIO  
ROMANI PONTIFICIS,

*Quam*  
**DEI AUXILIO**  
INDULTU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ  
IN ACADEMIA REGIOMONTANA  
*Publica ventilationi subjicit*  
**BERNHARD. von SANDEN,**  
SS. Theol. Doct. & P.P. Extraord.  
*RESPONDENTE*  
**JOHANNE CASPAR OSUCHLANDO,**  
Mulhus, Pruss, SS. Theol. Stud.  
*IN AUDITORIO MAJORI*  
Anno M. DC. XCVII, die Jan.

---

Recusa, REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS, 1703.

THIRTY FIFTH EDITION  
THAT A QUANDO CONFERRESCON.  
GAIUS PRO ATNE DEICIAIT HIC TIA: ET  
SICUT TRINITATEM, SED EGO RO-  
AIT VOS, UT CERI RARIT  
HCCB SATANAS EXPETI.  
SIMON, SIMON

INTELLIGIBILITATI SIVE NON ERRAVIMUS PRIMAE CIVICIS  
ROMANI PONTIFICIS  
OCTOBRIS A  
1748.

**BRUNNEN** von **SANDEN**  
Johann Caspar Schmid  
Ratspommer aus  
St. Gallen 1709.  
Buchdruckerei und Verlag von  
Johann Caspar Schmid  
in der Stadt St. Gallen.

**JOHANNES GASPARI OSCHLANDO**  
MELISSA PELL'S 1700. 1701.  
IN A MELISSA MELISSA  
ANNO MDCCXVII. 1707.

Θεος συμπεραξαντο.

Luc. XXII. 31. 32.

Εἶπεν ὁ χριστός, Σίμων, Σίμων, οὐδέ οὐ σατανᾶς ἐγράψατο ὑμᾶς, τὰ σπιάσαι  
ώς τὸν σίτον. Εγώ δὲ ἐδεητὴν περιστῆ, Καὶ μη τιλείσῃ ἡ πίσις σου, καὶ  
σὺ ποτε ἐπιτέρψεις, τηρεῖσον τὰς αἰδελόφυσις στάσις.

**H**ec verba Christi ad Petrum, subjunguntur in Luca post sermonem, quo Dominus contentiam Apostolorum pro primatu, quæ post S. Coenæ in institutionem exorta fuerat v. 24--28, representat, idque convenienti ordine; Non quidem, ut fomenta & recidivum contentioñis ablatus insinuaret, quis futurus esset eorum Caput & Princeps, quæ sunt verba Alph. Salmeronis Tom. IX, Com. in Hist. Evang. Tract. 46; (hoc enim vel verba immediate præcedentia, quæ omnem omnino dominatum unius in reliquos ab Apostolis removent, refutant.) sed ut Antidota humilitatis & charitatis opponeret morbo ambitionis & contentioñis, quo æque Petrus ac reliqui Apostoli laborabant. Redarguerat Christus Apostolos propter ambitionem, vino ramen & oleum admiscentes eos laudaverat & commendaverat, quod permanerint secum hæc tenus in his tentationibus, v. 28. & se eis Regnum Cœlorum largiturum, v. 29. & 30. promiserat. Ne ergo gloriantur undecim Apostoli, & suis viribus tribuerent, quod sole pene inter tot millia Iudeorum dicerentur in tentationibus permisso cum Domino, offendit, & eos, si non juvantis se Domini oratione essent protecti, eadem processa cum ceteris potuisse conteri, inquit Beda in h.l. Tom. V. Edit. Basil. A. 1563. Ad hæc, paulo ante v. 21. & 22. proditorum suum indicaverat, & vñ eidem minatus fuerat, ne igitur extollantur quasi magnum quiddam

fecissent & permanessent in charitate ac non prodiisset ; Satan  
nas vos , inquit , petivit cibrare , sed ego rogavi . Ne existimetis ,  
quod uestrum sit totum hoc bonum opus . Diabolus enim valde  
urget , si posset vos ab amore mei depellere , & ostendere prodi-  
tores , scribit in h. I. Theophylactus p. 254. Ed. Bas. A. 1554. Me-  
morantur autem verba hæc Christi ad Petrum à solo Luca , sic-  
ut & alia plura , quæ recenset Irenæus lib. III. adv. hærefes cap.  
XIV. p. 272. Ed. Parif. A. 1639 ; Et in Harmonia Evangelistarum  
à Joh. Gerhardo cap. CLXXIV. Cornelio Jansenio Episc. Gan-  
dav. Comm. in Concord. Evang. cap. CXXXIII. Sebas. Barra-  
da Jefuita Comment. in Concord. & Hist. Evangeli. Tom. IV.  
lib. II. cap. 21. post exhortationem mutuæ dilectionis commo-  
de inseruntur , post verba Johannis XIII. 37. 38. dicit ei Petrus ;  
Domine , quare non possum te sequi nunc , ponam animam meam ,  
pro Te . Respondet ei JESUS ; animam tuam pones pro me ? q.d.  
Magna quidem promittis , sed nescis virium tuarum infirmi-  
tatem ex parte una , nescis Satanae insidias & potentiam ex par-  
te altera , inde animam pro me positurum temere spondes . Si-  
mon Simon , ecce Satanæ expetnit vos , &c. Sicuti & paulo post , cum  
Petrus præsumptuose ejusmodi pollicitationibus instaret , di-  
cendo : Domine paratus sum tecum & in carcерem & in mortem ire ,  
Luc. XXII. 33. Dominus specialius & tempus & modum lapsus  
ei prædicendo : Amen , amen dico tibi , non canet hodie gallus ,  
priusquam ter negaveris , te nosse me , Joh. XIII. 38. eundem  
compescit .

§. II. Atque hæc est verborum Christi apud Lucam occa-  
sio & connexio . Ipse textus vero ita incipit : Ait autem Do-  
minus , Simon , Simon ; Particula adversativa ḥ respicit ad  
antecedentia modo exposita . Vulgata versio aliter legit : Di-  
xit Dominus Simoni , Simon ecce , &c. & ita etiam Syrus סִמְעוֹן  
sed Arabs & allii interpres , etiam ex latinis Patribus Hieron.  
Dia-

¶ ( 5 ) ¶

Dialogo contra Pelag. Prosper lib. de Vocab. Gent. Beda in h. L.  
cum græcis codicibus constanter legunt: *Simon, Simon, nisi*  
*quod Hieronymus alibi nomen Simonis triplicet, & legat:*  
*Aut autem Dominus Simoni, Simon, Simon:* Tom. VI. Oper. p.  
106. Edit. Paris. A. 1643. sed sine fundamento ullo in litera textus.  
Videtur autem geminatio nominis *Simon* singularem habe-  
re emphasis atque denotare, vel singularem animi affectum &  
benevolentiam in Christo Petrum alloquente, & de periculo  
eum monente, sicut & Martham compellabat, *Martha, Martha,*  
*sollicita es & turbaris erga plurima*, Luc. X. 41; Vel acuere re-  
prehensionem, quam Petrus adeo præsumptiosus merebatur,  
sicut Dominus in via Damasci Paulo persecutori sui nominis  
obviabat, dicendo: *Saule, Saule quid me persequeris? Actor.*  
IX. 4. Vel simplicissime dicitur repetitionem nominis à Petro  
attentionem requirere, ut Gen. XXII. II. *Angelus de Cælo cla-*  
*mabat Abraham, Abraham, Gen. XLVI. 2.* In visione nocturna  
audivit Jacob vocantem se & dicentem *Jacob, Jacob:* sic DEUS  
vocavit Mosen de medio Rubi: *Moses, Moses, Exod. III. 4.* &  
Samuel in templo: *Samuel, Samuel, I. Sam. III. 10.* Sicut &  
excitandæ attentionis fini inservit particula *ecce*, qua Christus  
se tale quid Apostolis dicturum innuit, de quo haftenus non  
cogitaverant. Hæc enim particula *id & Hebr. 13. 7.* inter  
usus reliquostum affirmationem exaggerat, ut Gen. I. 20. *Ecce*  
*dedi vobis omnem herbam, &c. Gen. XVII. 20.* Super Ismaëlem quo-  
que exaudiui te, ecce benedicam ei & Angelo, &c. Ezech. XII. 8.  
*Quia locuti estis vana & viditis mendacium, ideo ecce ego ad vos,*  
dicit Dominus Deus: *Tum attentionem ex rei cuiusdam miran-*  
*dæ & insolitæ novitate excitat, ut Ef. VII. 14. Ecce Virgo conce-*  
*pit, Luc. I. 31. Ecce concipies & paries filium, Matth. XXI. 5. Ecce*  
*Rex tuus venit, Luc. XVIII. 31. Ecce ascendimus Hierosolymam, &c.*  
*Quem Christus nomine Simon: sindigaret obscurum esse non*

potest. Theophylactus Comment. in Matth. X. p.28. Ed. Bas.  
 in Collegio Apostolico, tres numerat Simones, Simonem Pe-  
 trum, Cananæum sive Cananiten, Matth. XIII. 4. & Simonem  
 Prodigorem Iscariotem dictum; sed rectius Drusius ad voces  
 N. T. Comm. poster. p.m. 192. Judam quidem Patrem habuisse  
 Simonem, unde Johann. XII. 4. & VI. 71. *Judas Simonis*, sc.  
 Filius dicitur, ipsum tamen nunquam Simonem in casu recto  
 dicit. Usitatisimum alias hoc nomen erat apud Judæos & plures  
 Simones non solum in sacra Scriptura, sed & apud Judaicos  
 Autores memorantur. Græci in scriptione variant, legitur  
 enim Σίμων, Συμεὼν & Συμεὼν, & videtur esse contractum *Si-  
 mon* (quod auditorem notat) sicut Veteres Heth & Ain sæpe  
 numero elidebant & Hellenistæ nomina Hebræa in græca  
 transformabant; cui forte in latino respondet *Simo*. Vid. Drusius  
 Comment. poster. l.c. & prior. p. 164. Hic ergo Christus Simonem  
 compellat τὸν λαγόμανον πέτρον, Matth. IV. 18. X. 2. Filium  
 Jonæ sive Johannidem, Joh. I. 42. & fratrem Andreæ v. 40. cui  
 Dominus nomen Cephæ sive Petri impositum iri ibidem v. 42.  
 promittit. Nam eundem & alias nomine Simonis vocabat,  
 ut Matth. XVI. 16, *Beatus es Simon Bar Jona*, Joh. XXI. 15. *Simon  
 Johannis amas me*, & hoc nomine Petrus sæpius in historia Ev-  
 angelica venit. Alloquitur Christus Petrum nomine pro-  
 priò, ut se ipsum quis sit & quid ex se sit, intimus consideret;  
 Nec Petrum ipsum vocat sed Simonem, ut admoneat, quod  
 huic nomini suo respondere, seque in audiendo attentum præ-  
 bere debeat. Quod enim hic argutatur Salmeron, Christum  
 Simonis nomine Petrum vocasse, ut indicaret eundem tenta-  
 tum fuisse & cecidisse quatenus Simon est; i. e. privata persona,  
 non autem quatenus Petrus i.e. caput & fundamentum Ecclesiæ  
 sive Papa; maxime adhuc controversum est, immo nullo nititur  
 fundamento.

§. III.

§. III. Sed car potius ad Simonem Petrum Christus, quam ad alios Apostolos haec verba direxit? Causa est in promptu, sive ad connexionem Lucæ, sive etiam ad Johannis antecedentia respiciamus. Apud Lucam præmittitur encomium Apostolorum perseverantium cum Christo & ampla Regni promissio. Cum autem Petrus reliquis audacior existeret, & forte Christi promissis insolentior redditus esset, sicuti hanc suam sequitur (ut eam vocat Chrysostomus Orat. de negat. Petri Tom. VI. Oper. Ed. Paris. A. 1642. p. 526.) non solum alibi sed & imprimis hic abunde exseruit; Ideo Christus id, quod ad omnes spectabat, speciatim Petro minabatur. Q. d. O! Petre magna præsumis de tuis viribus, sed latet te, quantum vobis omnibus, imprimis tibi impendeat periculum, Ecce Satanás, &c. Hanc causam compellationis Petri reddunt Doctores Ecclesiae Basilius Cesareæ Cappadociæ Episcopus, Homil. XXII. de Humilitate. Verum, inquit, quoniam arrogans dixerat, etiamsi omnes scandalum patiantur in Te, ego tamen nunquam scandalum pariar, & prolapsum in negationem lapsu institutus ad pietatem— Christi virtute servatus es, qui etiam ipsi, quod postea contigit predixerat, inquires, ecce Satanás, &c. Tom. I. Oper. p. 474. Ed. Paris. A. 1638. Chrysostomus Homil. LXXXIII. in Matth. XXVI. Duplex crimen erat (Petri) tum quia repugnauit ac resistit, tum quia ceteris se ipsum preposuit, imo vero etiam tertium non parvum crimen cum commisso dixerim, ὅτι τὸ πᾶν εαυτῷ avēdne quia totum sibi imposuit; i.e. est viribus suis nimium confisus. His igitur mederi omnibus volens (Dominus) cadere illum permisit, ac ideo ceteris pretermis ad eum orationem direxit, dicens, Simon, Simon, ecce Satanás expeditiv vos, &c. H. I. p. 70r. Ed. Comm. Et Theophylactus in h. l. Ad Petrum verba haec dirigit, quia reliquis audacior erat, & probabile est superbiisse in his, que à Christo promissa erant, iacirco & reprimis eum, dicens,

sa-

Satana quidem fuit multum studium contra vos , ego autem rogarui pro te. p. 254. Ed. Bas. Sed & ex contextu præcipue Johannis & ex prædictionis complemento apparet Christum ideo specialiter ad Petrum sermonem dirigere ; tum quia Petrus solus quæsiverat , Domine , quo vadis ? seque cum ipso iturum & mortem subiturum promiserat ; tum quia gravius quam cæteri Apostoli erat peccaturus non solum à Domino fugiendo , quod fecerant reliqui , sed & negando , quod peccatum fuerat ipsius proprium . Curnam , inquit Chrysostomus loc. modo cit. si omnes expetit , non dixit : pro omnibus rogavi ? patet hinc , quod paucis ante dicebam , quia vehementius eum ( Petrum ) tangens & ostendens multo pejorem esse ejus lapsum , ad eum convertit orationem , p. 702. Ed. Commelin.

§. IV. Progredimur ad verba ipsa Salvatoris nostri , quæ ita sonant : Satanas expetivit vos , ut cribraret sicut triticum . Singula verba sunt emphatica & attenta consideratione digna , nam neque frustra particula attentionem & admirationem excitans Ecce commati huic præfigitur . Autorem & causam principalem imminentis tentationis , Satanam nominat , atque ἄρπαγον & DEI & fidelium hostem intelligit ; Nam licet omnes qui adversantur divinæ voluntati Satanæ dic possint , (ut monet Origenes Hom. XV. in Jesum Nave , Tom. I. Oper. lat. Edit. Basil. A. 1557. ) & ipse Petrus olim audiebat à Christo : Vade post me Satana , Matth. XVI. 23. καὶ ἀπενοχίας tamen Diabolo Principi malorum Angelorum , qui dicitur ἄγγελος Σατᾶν , II. Cor. XII. 7. nomen hoc tribuitur : Hic enim est iste ἀπενοχίας καὶ ἀπάτης , sicut hæc vox omnium optime interpretatur . Σατᾶν λέγεται ὁ ἀπενοχίας , inquit Theophylactus in cap. XII. Matth. שָׂטָן יְהוָה Satan significat inimicum , ut Drusius ex Davide Grammatico Comm. post. ad voces

N. T.

N. T. cap. X. p. 193.: Vid. & Hieron. lib. de Nominibus Hebræis & alibi: Favet huic originationi sacer Codex. Sic enim Zach. III. 1, dicitur; Et Satanam ad dextram ejus στέλλει ut adversetur ei: Theodoretus lib. de Curand. Græc. affect. serm. de Diis & Angelis, & Irenæus lib. V. adv. hæref. Satanam Apostolam interpretantur, & videntur vocem hanc deducere à πών vel τῷ πόνῳ quod deficere significat, ut Nun sit Heemanticum: Et hæc derivatio Satanæ recte competit, prior tamen magistrata & magis congruit sensui ipsius Petri, qui eundem αἰτίων vocat, I. Petr. V. 8. Justino vero, qui Dial. cum Tryphone p. 259 Ed. Commel. græca terminatione στατάς inductus compositum putavit ex πών ἀποστάταις & τῷ πόνῳ, τῷ δὲ οἴφῃ five ωρῃ, facile, tanquam in Lingua Hebræa hospiti, hic error condonari potest. Hic adversarius humanae salutis ξηρόστατο, expetivit, ut Vulg. habet, velut Tertull. lib. de fuga in persecut. Cyprianus lib. IV. Ep. 4. Prosper, lib. de Vocab. gent. c. 9. verterunt, postulavit, aut secundum Ambrosium in Ps. XLIII. expostulavit. Nam vox hæc est ex ἄπαξ λεγομένη in S. Codice Primitivum tamen ejus αἴτιο in significazione mendicandi, five petendi vel precibus submissis vel cum impetu, five juri nitatur, five consuetudine, &c. sœpius occurrit. Vid. Joh. Conrad. Dieterici Illustramentum N. T. p. 62. & seq. Apud Græcos Autores notat exposcere vel depositare aliquem ad pœnam. Sic Isocrat. in Trapez. Εάν δὲ μὴ τέτον ποιῶ παῖδες ύμῶν ἔχαιτεν. Demosthenes dicit se ἐξαιτεῖσθαι τὸν φιλίππου καὶ τὸν Αλεξανδρεῖ. Plutarchus de Oraculorum defectu γρετος ιχυζος καὶ βίαιοι δαίμones ἔχαιτεμνοι ψυχὴν αὐθεωπίνην περικωμένην σώματι: Ita quoque dicitur ἔχαιτεν πρὸς Βάσανον exposcere ad torturam. Vid. Budæus in Lexico p. 53. & 54. Gerhardus in Harm. p. 1207. apposite monet notare hanc vocem exposcere ad duellum vel singulare certamen, quemadmodum gladiator aut hostis aliquem a Rege depositat, ut certamen cum ipso ineat;

quod Goliathum fecisse legimus, I. Sam. XVII. 8. quia tanquam  
 ☐ duellator, ein Mann / ein Kämpfer / ( ut red-  
 didit Lutherus edit. A. 1534. ) ē castris Philistæorum prodiit.  
 Hæ significationes vocis hujus omnes huic loco congruunt. Sa-  
 tanas enim depoposcit Apostolos ad poenam tanquam jus in  
 eos habens propter peccatum, postulavit sibi dedi tanquam per-  
 dulles ad poenam trahendos, postulavit etiam à D E O , ut sibi  
 liceret certamine singulari cum Apostolis congregari & tentatio-  
 nibus velut fidiculis eos divexare, sicut olim Jobum ad tenta-  
 tionem poposcerat & impetraverat, Job. I. 11. II. 5. Evidem  
 Beda existimat diabolum non proprie à D E O petuisse, ut per-  
 mitteret sibi tentare Apostolos, dicique expetere justum ad ten-  
 tandum, non quia à D E O facultatem petat, sed quia id valde  
 desiderat. *Satana, inquit, Comment. in Luc. XXII. Tom.*  
*V. p. 480. Edit. Basil. expetere bonos ad cribrandum, est ad afflictio-*  
*nem eorum malicie astibus anhelare.* Quo enim eorum tentatio-  
 nem inuidens appetit, eo illorum quasi probationem deprecans petit,  
 &c. Nihil tamen obstat quo minus verbum εξηράστη proprie  
 accipiamus. Cum Saranæ studium & insidias nocendi nobis  
 satis perspectas habeamus. Nam adversarius vester diabolus  
 tanquam Leo rugiens circuit, querens quem devoret, inquit Pe-  
 trus superata hac tentatione, Epistola II. 8. Optat omnes cade-  
 re qui se sentit pre omnibus cecidisse, dicit Maximus Taurin. Ho-  
 mil. II. de Jejun. Quadrag. p. 207. in Heptade PP. Ed. Paris. A.  
 1661. Et inde orare jubemur: Ne inducas nos in temptationem,  
 Matth. VI. 13. Limitatam tamen Satanæ hic esse potestatem  
 recte cum Beda ex petitione hac colligimus. Cum Satanæ ex-  
 petivit eos tentare, docet nullius fidem à diabolo, nisi Deo permitten-  
 te tentari, dicit Beda loco modo citato. Hinc recte Augustinus  
 tentandi, inquit, voluntatem diabolus habet, in potestate autem nec  
 ut faciat habet, nec quomodo faciat, lib. XI. de Genes. ad Lit. cap. 27.  
 p. 669.

p. 669. Tom. III. Ed. Bas. A. 1569. & hoc respectu lib. XI. de C. D. cap. I. potestatem Satana, egenam potestatem vocat, p. 605. Tom. V. Ed. cit. Differit hac de re late & eleganter Tertullianus lib. de fuga in persecut. cap. 2. Nihil Satana, inquit, in servos DEI vivi licet, nisi permiscerit Dominus, ut aut ipsum destruat per fidem Elektorum in tentatione vicitricem, aut homines ejus fuisse traducat, qui defecerint ad illum. Habes exemplum Jobi -- Sic & in Apostolos facultatem tentationis postulavit, non habens eam nisi ex permisso: siquidem Dominus in Evangelio ad Petrum: Ecce, inquit, postulavit Satanus ut cerneret vos velut frumentum. -- Nec in pororum greges diaboli Legio habuit potestatem, (Matth. VIII. 31.) nisi cum a DEO impetrasset, tantum abest ut in oves DEI habeat: possim dicere pororum quoque fetas tunc fuisse apud Dominum numeratas, nedum capillos Sanctorum, &c. p. 969. Ed. Parisi. A. 1608.

§. V. Dicitur autem Satanus postulasse non Petrum tantum sed omnes Apostolos, hoc fine, ut eosdem cribraret, ut id quod in Juda proditore Domini jam obtinuerat, & in illis omnibus assequeretur. Sentiebat enim jam eorundem ministerio & prædicatione Regnum suum destructumiri, & cum jam lucratus esset filium illum proditoris, Judam, animus ipsi accrescebat fore, ut reliquos quoque abjecta sequela Christi in suas pertraheret partes. Et hoc est quod dicit Christus: Satanus expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; σινάραι est concutere, agitare instar tritici in cribro, sicut Christus ipse metaphoram mox explicans addit, ὡς τὸν σῖτον. Raro hæc vox apud Graecos autores occurrit. Attamen σίνων, σινάραι significat cribrum apud Hesychium & σινάραι est concutere, exponit enim κοπιῶνται & σῖται; p. 839. Ed. Schrev. Glossariū vetus σινάραι dicit esse ποναγέαν τὸν detrimentū tritici. Respondeat

Hebræo γινομένοι quod occurrit, Amos IX. 9. ubi LXX. verterunt λιμπάν, quod ventilare & proprie glumas & paleas à frumento separare notat, ( sed παταχηστινας, nam sequitur mox vox cribrum notans ) Paris significationis est ηρία quod ipsum sæpe per λιμπάν vertitur, alibi per οὐρανος-πλευν, απαλλαγησιν, παθετησιν. Syrus reddidit per בְּרֵב commiscere, grana enim dum cribrantur, permiscentur & confunduntur. Sensus igitur est: Satanus à DEO postulavit sibi permitti, ut temptationibus suis vos, Apostolos, agitaret, concuteret, sicut triticum in cribro vel vanno circumagitatur, inde Chrysolomus & Theophylactus locis supra cit. σωμάτου expoununt ταρδέα, θλάψα, θορυβήσα, περιέσα. Et Cyprianus Ep. VIII. ad Presbyteros & Diaconos, ut vexet vos. Quemadmodum autem in cibratione grana quædam ob vehementem concussionem excidunt, & cum paleis & pulvere simul pereunt: Ita vult dicere Christus, Satanus postulavit, ut vos non solum agitaret & concuteret, sed etiam dispergeret & perderet, ut temptationibus ex mea passione orituris fidem vobis penitus excuteret, sicque gratia DEI & salute æterna non solum totaliter, sed etiam finaliter excidatis. Apta hæc est Metaphora, qua non solum studium Satanæ fideles concutiendi & perdendi, sed ipsum DEI consilium & intentio, quæ ipsas tentationes has in piorum bonum & emolumentum dirigit, exprimitur. Opposita enim sibi sunt opera DEI & diaboli, diabolus fideles expedit cribrare ut perdat, DEus permittit hoc ei, ut eosdem repurget & cernat ( sicut vocabulum hoc Terullianus, Ambrosius & Prosper reddunt. ) Hinc alia cribrandi ratio DEO, alia diabolo tribuitur: Illa salutem nostram, hæc pernitiem intendit. Sic non solum Christus dicitur habere τὸ πνεῦμα ventilabrum vel palam in manu sua ac purgare, Matth. III. 12. Verum etiam DEUS Amos IX. 10. inquit: Ecce ego præcipiam

ut cribretur inter omnes gentes Dominus Israel, quemadmodum cibra-  
tur aliquid in cribro & non cadet lapillus in terram. Metaphora cibri,  
inquit Hieron. in h.l. significatur ipsa terra Israel, cuius margines  
DEUS magnitudine sua utraque manu tenens, quasi cribrum hoc illuc-  
que concutiet, ut paleis ac sordibus peccatorum concussis, i. e. labore &  
calamitate exagitatis, & in terram cadentibus, & gladio morien-  
tibus, purum remaneat, quod in horrea condatur, p.124. Tom. V.  
Edit. Paris. 1643. Per lapillum, quidam intelligent granum,  
quod sit durum instar scrupuli & lapilli: At Joh. Tarno-  
vius Comm. in h.l. p.m. 237. putat Prophetam de una meta-  
phora transire ad aliam, (quod in S. S. intrequens non est) à  
metaphora seminis & agri ad metaphoram domus & lapilli,  
utrique enim fideles comparantur. Huc quoque digitum in-  
tendit Ambrosius in Pl. XLIII. ubi ita scribit: *Sicut triticum se ven-  
tilatur, & a paleis separatur, mundum est, si autem ventilatum non fue-  
rit, mundum esse non poterit, sed est paleis concretum & permixtum: Ita*  
*etiam homo nisi tentationibus fuerit ventilatus fragilia quoque veluti  
paleas a se non potest separare.* Unde etiam ad Petrum dictum est, Si-  
mon, ecce Satan as expostulavit, ut ventilet vos sicut triticum. — Veni-  
latur Petrus, ut Christum negare cogatur. Incidit in tentationes,  
quedam locutus est, quasi plena palearum, sed locutus est verbo ut  
fundatior esset affectu, denique flevit & paleas suas lavit — Cogitur  
autem & adversarius Sanctos Domini ad sua damnata tentare. Dum  
enim tentat, meliores reddit. Conversus est Petrus ad bonam fru-  
gem, & ventilatus est sicut triticum, ut esset ille cum Sanctis Domini unus  
panis, qui nobis esset alimento. Dum enim Petri actus legimus, Petri  
precepta cognoscimus, fit nobis vita & aeternae & salutis alimentum. Hæc  
Ambrosius p.291. Tom. II. Oper. Ed. Paris. An. 1642; qui tamen  
caute hic legendus, nam & ipse paleas quasdam, dum Petrum  
excusare nititur, admiserit, & propterea, tacito licet nomine,  
ab Augustino tract. LXVI. in Joh. p. 417. Tom. IX. Edit. Basil.

refellitur. Comparantur in Scripturis sacris cogitata homi-  
 num cribro, dum Sirac. XXVII. 5. dicitur ἐν σεισματι κοσκίνα  
 διαμίνει κοπτία. ὅτας σκύλα αὐθέωπτα ἐν λογίσμῳ ἀντεῖ. In concusso-  
 ne cribri remanebunt stercore, sic aporia sive perplexitas hominis  
 ( ita legit Vulgatus inverso forte ordine pro κοπτίᾳ ) in cogita-  
 tu illius. Alii legunt σκύλα, quæ vox notat rejectamenta, quis-  
 quilias, proprie quasi κυνόβαλα ut notat Eustathius in Etymolo-  
 gico h.e. mice, que canibus projiciuntur ( quo sensu vox hæc quo-  
 que reddenda erit, Philipp. III. 8. ) Et sensus loci hujus est: Si-  
 cut dum percuditur & agitur cribrum, farina per foramina de-  
 labitur, in cribro vero remanent fursures & sordes: Sic cum  
 mens hominis concutitur variis cogitationibus, præsertim in  
 afflictione & tribulatione, sæpe lætæ & bona cogitationes dela-  
 buntur, ac post omnem mentis agitationem in ea nihil rema-  
 net nisi anxietas & moestitia. Ad aliud cribri genus, diversum  
 à priori, Siracides respicit, nempe in quo farina, calx aut aliae res  
 quæ purgantur decidunt, rejectamenta autem remanent. Va-  
 ria enim cribrorum genera olim fuisse & hodie esse vulgo na-  
 tum est. Vossius in Etymologico duplex memorat cribrum,  
 farinarium, quo succreta farina secundarium panem efficit, al-  
 terum pollinarium, quo farina decussa panem efficit primari-  
 um candidumque, p. 164. Insinuant hæc dilicimen bonorum &  
 malorum: Sic enim & hypocritæ tentationum cribro agitat  
 ob bona hujus seculi, fidem, DEI gratiam & salutem æternam  
 abjiciunt, atque hac ratione deterius servant, præstantius amit.  
 tunt. Pii vero & vere credentes in tentatione fidem, Dei grata-  
 tionem & salutem æternam retinent, honores, divitias & volunta-  
 tes hujus seculi abjiciunt, sique deteriori rejecto præstantius  
 servant. Hoc loco autem Christus procul dubio magis respi-  
 cit ad posterius cribrorum genus ac proinde magis ad locum  
 Amos, quam Siracidis, Quemadmodum enim in concusso-  
 cri-

cribri pulvis excidit, triticum vero non læditur, sed purgatur: sic per tentationem Judas instar glumæ aut pulveris tuit abjectus, sed reliqui Apostoli instar tritici manserunt; Ad tempus quidem à Christo defecerunt, sed per conversionem mox ad ipsum redierunt, adeoque nec fide, nec DEI gratia, nec salute æterna finaliter exciderunt, idque vi & efficacia intercessionis Christi, ut statim addit.

§. VI. Nam postquam ostenderat Dominus haec tenus, unde timere debeant, nunc subjicit, unde Apostoli sperare Deoque confidere debeant. Sed ego, inquit, rogavi pro te, ne deficiat fiducia tua. Satanæ postulationi opponit suam orationem, Satanæ econatus suam protectionem. *Cur non dixit, ego non dimisi, sed ego rogavi?* quærit Chrysostom. Homil. cit. & Resp. *Hymnilius* jam loquitur ad passionem iturus, ut humanitatem suam demonstraret. Et propter infirmitatem discipulorum, qui nondum decentem de ipso existimationem habebant. Ex verbo idem Augustinus colligit Christum hæc verba, post orationem suam προσεύχεται, Joh. XVII. descriptam protulisse, quippe in qua non solum pro Petro & Apostolis, sed etiam pro omnibus per verbum ipsius credituris v. 20. quam efficacissime orat. Verum jam tum & vice plus simplici Christus, in privatis & occultis precibus, quibus assidue vacabat, prodigies suis Apostolis apud Patrem cœlestem oraverat; Adhæc verbum præteriti temporis usitata scripturæ phrasii pro paulo post futuro ponitur, ut Gen. XX. 3. Matth. IX. 24. Joh. XVII. 4. &c. Quid autem? Num pro Petro solo oravit? Nonne omnes indigebant hac Christi oratione? Utique pro omnibus oravit, Joh. XVII. 9. *Ego, inquit, pro eis (Apostolis) rogo: Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi custodire, & nemo ex iis perit, nisi filius perditionis, ut scriptura impleatur, &c.* Et in proxime præcedentibus dixerat, Satanam non solum Petrum, sed etiam reliquos Apostolos ad cibrationem

tionem postulasse , cumque paulo post jusserrit , ut Petrus con-  
 versus exemplo suo i.e. reliquos Apostolos & alios in peccatum  
 prolaplos & per pœnitentiam ad DEUM conversos erigat &  
 confirmet , precatio hæc omnes attinebat . Sic Ignatius Ep.  
 ad Smyrnenses : Jesum Christum , dicit , deprecatum esse Patrem  
 suum , ut non deficeret fides Apostolorum , non quod non sufficeret  
 custodire eam , sed gaudens de Patris eminentia ipsum deprecatus  
 est pro eis . Tom. XI. BB. M. PP. p. 29. Et Augustinus libro  
 Quæst. V. & N. T. qu. 75. Quid ambigitur ? pro Petro rogabat  
 & pro Jacobo & Johanne non rogabat , ut cæteros taceam ?  
 Manifestum est in Petro omnes contineri , rogans enim pro Petro  
 pro omnibus orasse dignoscitur , semper enim in præposito populus  
 aut corripitur aut laudatur . Tom. IV. Oper. Ed. Bas. Nam  
 & alias Petrum typum sive personam gestare totius Ecclesiæ  
 agnoscit . Vid. Disp. nostra in Matth. XVI. 19. §. III. Præcipue  
 tamen & singulariter pro Petro rogavit , quia ille acrius erat  
 à Diabolo impugnandus ac gravius quam cæteri in Dominum  
 peccaturus , non solum in desertione & fuga , quam cum reli-  
 quis Discipulis suscepérat , Matth. XXVI. 56. sed & in tripli-  
 ci abnegatione Christi . Exponit hanc causam diserte Chry-  
 softomus cit. Homil. 85. in Matth. Ego rogavi pro te , &c. hoc ut  
 vehementius cum tangeret dicebat , significans causam ejus multo pe-  
 jorem esse aliorum Discipulorum casu , ac ideo majori etiam cum  
 patrocinio indigere , p. 701. Ed. Commel . Ego , vult dicere ro-  
 gavi , ne deficeret fides tua , illa scilicet , ob quam te olim bea-  
 tum pronunciavi , ob quam petram appellavi , super quam ædi-  
 ficaturus essem Ecclesiam meam , contra quam portæ infero-  
 rum nunquam essent prævalitûræ , Matth. XVI. Quia in par-  
 te Christus , quem Pater semper audir , exauditus est ; Nam et-  
 si ad tempus fidem perdidit Petrus , mox tamen in pœnitentia  
 eandem recepit , atque ad finem usq; vita servavit , ut cum Pau-  
 logloriari posset : Fidem servavi , II. Tim. IV. 7. Movetur hic  
 quæ-

quæstio de Effectu orationis Christi in Petro, num talem haberit ut fides ejus non deficeret in abnegatione Christi? Pontificii defecisse charitatem, defecisse fidei confessionem, sed ipsam fidem non defecisse in corde, ore negasse Christum, corde retinuisse, dicunt. Ita Salmeron, Maldonatus Jansenius & alii. Eadem sententia Calvini & Buceri Comm, in h.l. Bezæ Homil. XV. in passion, & aliorum quorundam; Grotius in h.l. τὴν ἐργασίαν τῆς πίστεως labefactatam fuisse & extinctam, εἰνὶ quidem labefactatam sed non extinctam esse dicit. Sanior tamen procul dubio est Nostrarium sententia, quæ statuit Orationem Christi capiendam esse *de defectione fidei finali*, à qua Petrus Christi precibus fuerit præservatus, ne in æternum periret, aut cum Juda desperaret, sed ut per poenitentiam conversus ad Christum salvus fieret. De cetero quod fides salvifica non manserit in Petro abnegante manifestum est. Vera enim fides & confessio sunt intime sibi conjuncta juxta Ps. CXVI. 10. II. Cor. IV. 13. imo confessio sub gravi interminatione cuilibet fidelis injuncta, Matth. X. 33. II. Tim. II. 12. Petrus vero Christum non tantum non est confessus, sed insuper etiam negavit, ergo veram fidem non habuit. Vera fides Christum recipit, Joh. I. 12. abnegatio Christum repudiat. Ergo vera fides non potuit cum abnegatione Christi in corde Petri simul consistere. Denique ubi conversione opus est ibi aversio præcessit. Defecit ergo fides Petri *salvifica totaliter, sed non finaliter*. Hæc est quoque piorum Veterum sententia. Non dixit ut non neges, sed ut non deficiat fides tua, ut non prorsus sive finaliter pereat ἀπὸ μη τιλεον διαδεῖθ. Cura enim ipsius atque favore factum est, ne Petri fides omnino evanesceret, inquit Chrysostom. Hom. LXXXIII. in Matth. Fidelior factus est Petrus, postquam fidem se perdidisse deslevit, verba sunt Ambrosii serm. 47. ut citantur in Jure Canonico c. fidelior distinet, 50. Etiam pro Petro Pater rogatur, ne deficiat

fides ejus, ut negantis infirmitati vel dolor saltet pœnitentie non abesse, quia fides in eo non deficeret quod pœniteret. Hilarius lib. X. de Trinit. p. 252. Ed. Paris. A. 1652. Conspicue didicit (Petrus) quod quemadmodum, cum in pelago mergeretur dextera Christi relevatus est, ita & in scandalorum fluctibus cum propter incredulitatem periculum ipse immineret Christi virtute servatus est, Basilius Hom. XXII. de Humil. Tom. I. Oper. Vid. August. Tract. LXIX. in Joh. Tom. IX. Oper. p. 416. Ed. Basil. 1569. ubi acriter in eos qui Petrum excusare audent, invehitur: Hisce alias adhuc adjungere possemus, & ex ipsis Pontificiis & Reformatiis, quos citat Gerhardus in Harm. Cap. 174. p. 121. plures inuenies apud Bertium in libro, cui titulus: *Hymenaeus deserror*, sive de Sanctorum Apostasia.

§. VII. Quo vero Petrus fructum orationis Christi, finemque ad quem cibrationem hanc Satanæ dirigebat DEUS, eo melius cognosceret, addit: Et tu aliquando conversus, confirma fratres. Pontificii, & qui eis frigidam suffundit Grotius verbum ἵπτεψας per Herbraicatum exponunt & putant idem notare quod iterum, qua significatione respondet Hebreo טוֹב quod a LXX. Ps. LXXI. 20. vertitur ἵπτεψας εἰσωτοῖς με, iterum διβίσας με, & v. 21. ἵπτεψας παραδέστας με, iterum consolatus es me. Ita & alibi saepe. Verum quamvis alibi obtineat iste Hebraismus, hic tamen locum non habet. Obstat enim Syrus Interpres, qui ita habet. Et tu in tempore ἴπτεψας convertere & confirma fratres tuos, interposito ut notet, participium ἵπτεψας non adverbialiter accipi. Præterea emphasis illa, iterum, jam latebat in particula καὶ, quæ hanc sententiam cum priori connectit; Quid vero opus erat eam bis adhiberi. Denique nec aliter intellexit Petrus, qui lapsum & conversionem prædicti videbat, atque utrumque negabat futurum: Nec aliud Eventus docet, cum Christus unico aspectu Petrum convertit & confirmavit. Ne quid

quid dicam de Veteribus, quorum nullus eo modo vocem conversus, sed omnes de conversione à peccato ad pœnitentiam accipiunt, ut ex supra adductis testimoniois appareat. Quidam Syriaca & Arabica versione inducti in verbo ἀντεψησας mandatum latere volunt distinctum à mandato confirmationis fratum, ut Matth. XXVIII. 19. Ast in græco non novum præceptum tradi, sed ad antecedentia relipci clarum est, quasi dicat Dn. Tu ergo Petre, quando per DEI gratiam, virtute hujus meæ intercessionis à peccato abnegationis per veram pœnitentiam fueris conversus, tunc confirma fratres tuos: Hujus enim intercessionis virtute Petrus convertebatur. Quod eleganter expavit Chrysostomus Homil. sæpius cit. Magnum, inquit, dogma hinc discimus, quod videlicet nullo modo hominis voluntas sufficiat, nisi auxilio superiori roboretur, quodque nihil lucrari poterimas à superiori patrocinio, si voluntas nostra repugnat, quem alterum Petrus, alterum Judas confirmat, &c. Idem dogma Augustinus passim contra Pelagianos urget. Particula ποτὲ extra controversiam tempus illud præcipue notat, quo Christus conversus respicit Petrum. Et recordatus Petrus verborum Domini. *Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis, & egressus foras flebit amarè*, Luc. XXII. 61. Confirmatio Fratrum dum Petro injungitur, per fratres præcipue quidem Apostoli reliqui, non tamen soli, sed in genere omnes fideles temptationibus Satanæ, mundi & carnis exagitati, & ex infirmitate graviter lapsi in peccata varia, intelliguntur. Nam in primodiis Ecclesiæ, illi qui postea Christiani dicti fuere (quod nomen primum Antiochæ ortum esse colligitur ex Act. XI. 26.) propter fidei & charitatis vinculum dicti fuere *Frates*, ut Joh. XXI. 23. Act. XI. 1. & ab Apostolis in Epistolis passim: Hos confirmare jubetur Petrus, verbo scilicet & exemplo suo: Ne & ipsi propter peccata desperent, sed vera pœnitentia ad Deum conversi

eadem, quæ Petrus vi precum Christi obtinuerat, sperarent. Verbo dum mox Spiritu S. plenus festo Pentecostes pœnitentiam prædicavit: Quærentibus enim Judeis, quorum corda concione Petri pungebantur, quid faciemus Viri fratres? Petrus responderet: pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque in nomine J. C. in remissionem peccatorum, Act. II. 37, 38. Et apostoli sunt die illa anima circiter tria milia, v. 41. Hos ergo confirmavit Petrus verbo Evangelii, quod illis prædicavit, quod & fecit, Act. X. in domo Cornelii & alibi, & in I. Epistola V. 8. docens sobrietatem & vigilantiam & fide Satanæ resistendum. Exemplo dum pœnitentibus omnibus in exemplum propositus est. Nec pœnitentia ejus in memoriā scriberetur, nisi profūisset aliiquid pœnitenti, inquit Pacianus epist. III. ad Sympronianum. Bb. Magnæ PP. Tom. III. p. 62. Sicut enim Paulus se tanquam exemplum proponit omnibus peccatoribus pœnitentiam agentibus, I. Tim. I. 15, 16. -- Ita idem procul dubio fecit Petrus. Hinc Theophil. in h. I. verba Christi sic exponit: Tu pœnitentiam agens lachrymasque fundens & negationem vitans, sis etiam alius fidelibus typus, ut convertantur, ne defherent. Hoc Petri exemplo quoque usi Catholici contra Novatianos, ut constat ex Theodorero, qui lib. III. de Hæret. Fabb. c. 5. inter alia inquit: Optimis Pastoribus metuenda Domini accusatio videbatur. O Pastores, quod confractum erat non colligastis -- Et hos juxta Domini præceptum confirmandos: Dominus enim magno Petro dixit: Simon, Simon expetiuit, &c. His consilii Novatus non acquiecerit, sed palam contradixit non oportere, dicens, salutem illos consequi qui abnegassent, perinde faciens, ut ii, qui egroros medicamentis uti prohibent. H. I. Tom. IV. Oper. Ed. Parisi. A. 1642. p. 229. Tantum de verro & genuino dicti hujus sensu.

§. VIII. Nunc videamus atque examinemus Pontificiorum, præprimis Bellarmini, Oraculi hujus falsas partim etiam ine-

ineptas explications & detorsiones. Scilicet illi verba  
 Salvatoris , quæ immediate subjicit Interdicto de non ami-  
 biendo primatu & dominatione in reliquos , ita capiunt , quasi  
 iisdem Monarcha reliquorum designetur Petrus : prædictio-  
 nem vero lapsus & conversionis Petri , infallibilitatis eidem &  
 Successoribus ejusdem concessæ argumentum esse volent ; At-  
 que ita directe scopo & literæ textus contradicunt . Ita enim  
 Bellarminus lib. I. de Pontif. Rom. cap. 20. *Christus pro Petro*  
*singulariter orans , clarissime ostendit Petrum fore Principem & Ca-*  
*put Fratrum.* Huic & assentiuntur alii : Burgensis , Jansenius  
 Salmeron , Didacus Stella , Cornelius à Lapide & alii in suis  
 Comment. Sed hæc nullo negotio diluuntur . Nam Christus  
 non solum pro Petro , sed etiam pro reliquis apostolis , imo  
 pro omnibus per verbum ipsorum credituris oravit , ut §. VI.  
 evictum dedimus . Ergo ex Oratione pro Petro non potest  
 Monarchicus ejus primatus deduci . Quod singulariter & præ-  
 cipue pro Petro oravit , non arguit Monarchicam ejus Emi-  
 nentiam , sed gravius periculum & graviorem lapsum . Adhæc ,  
 si ex speciali pro Petro intercessione aliquis primatus Petri de-  
 duci posset , is non foret primatus Monarchicæ potestatis ,  
 quippe quem Christus paulo ante in genere omnibus Aposto-  
 lis , ac proinde etiam Petro derogaverat , sed tantum primatus  
 honoris & dignitatis : Neque tandem à Petro ad Papam lice-  
 ret argumentari . Sicutiautem de Monarchia hac Petri ejus-  
 que Hæreditis Papæ sufficenter in ante editis Disput. super  
 Math. XVI. & Joh. XXI. actum fuit : Ita nunc infallibilitas Ejus-  
 dem examinanda venit . Hanc Bellarminus lib. IV. de Pontifi-  
 ce cap. 3. ex. h. l. ita asserere conatur . *Dominus , inquit , his ver-*  
*bis duis privilegia impetravit Petro.* *Unum ut ipse nunquam possit*  
*veram fidem amittere , quantumvis tentaretur a Diabolo :* *Alterum*  
*ut ipse tanquam Pontifex non posset unquam docere aliquid contra*

fidem, sive ut in Sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra fidem: Ex quibus privilegiis primum fortasse non manavit ad posteros, secundum sine dubio manavit ad posteros sive successores. Prius privilegium Augustini, Chrysostomi & Theophylacti testimonii confirmat: Alterum auctoritate Lucii I, Felicis I, Leonis Magni, Agathonis, Nicolai I; Leonis IX, Innocentii III, adeoque VII. Pontificum, quibus & Theophylactum, Chrysologum & Bernhardum superaddit, corroborat. Ut tamen ingenue & candide hic rem egisse videatur Bellarminus, non dicit hanc esse omnium Catholicorum sententiam & expositionem, sicuti alias facere solet. Sed fateatur ultiro h.l. varie exponi & quidem tribus modis. Prima expositio, dicit initio cap. cit. est quorundam Parisiensium supra citatorum, quod Dominus hic oraverit pro Ecclesia universalis sive pro Petro, ut qui totius Ecclesie figuram gerebat & hoc impetrasset, ut fides Catholicae Ecclesie nunquam deficiat. — Altera expositio est quorundam, qui hoc tempore vivunt, qui docent Dominum petras hoc loco pro perseverantia solius Petri in gratia DEI usque ad finem. — Tertia expositio vera, quod Dominus duo privilegia (modo enumerata) Petro impetraverit. Nihilominus tamen perversa & hic agit fide Bellarminus, sicut ei hic Joh. Launojus Parisiensis Theologus epistola ad Jacobum Bevilacquam, quae est part. V. Epist. VI, p. 402. & seq. larvam detraxit & eundem jure optimo perstringit. Nam primo ex Parisiensibus supra cit. scilicet cap. II. §. Secunda sententia, duos tantum nominaverat, Joh. Gersonem & Jac. Almainum; At Launojus praeter hosce 8. numerat Parisienses Theologos, S. Thomam, Bonaventuram, Thomam, Valdensem à Martino V. approbatum, Petrum Alliaco, Joh. Brevoxam, Nicolaum Clemangium, Cyprianum Benetum, & Franciscum Victoria. Parisiensibus adjunxerat Bellarm. Alphonsū de Castro & Adrianum VI. Papam; Launojus autem iterum 8. alios adhuc ad-

22 (23) 23

addit: Leonem IX, Goftridum Viterpiensem, Gvillemum  
Okamum, B. Vincentium Ferrerium, Nicolaum Tudescum di-  
ctum Panormitanum, supremum Franciscanorum Ministrum  
apud Odaricum Raynaldum, Joh. Driedo, Antonium Cordu-  
bensem. Deinde, alteram sententiam, (quam nos supra con-  
firmavimus) dicit esse quorundam sui temporis, eandemque  
refellit. Sed dissimulat expositionem hanc esse antiquorum  
Patrum Ecclesiae, eamque à maxima Doctorum parte & sua  
ætate & post illam suisse approbatam. Id luculenter demon-  
strat laudatus Launojus cit. Epistola, in qua quatuor expositi-  
onum hujus loci constituit classes; Et in prima statim, ubi alte-  
ram Bellarmini i.e. nostram explicationem ponit, præter Con-  
cilia duo, Carthaginense & Milevitani, Patres atque Eccle-  
siasticos Doctores XXXVII, adducit: Tertullianum lib. de fuga  
in persecut. cap. II. Cyprianum Epist. VIII. ad Presbyteros &  
Diaconos & lib. de Orat. Dominica. Hilarium Pietaviensem lib. I.  
de Trin. & lib. X. Basilius Cæsareensem Homil. XXXII. de Humil.  
Ambrosum in cap. XXII. Lucæ, & in Ps. XLIII. Chrysosto-  
mum Homil. LXIII. it. Homil. de Verbis Jeremiæ cap. 10, Homil.  
LXXXIII. super Matth. & apud Nicætam in Catena super Matth.  
XXVI. Palladium in Dialogo de Vita Chrysostomi, Innocen-  
tium I. Epist. ad Carthaginense Concilium, Augustinum Epist.  
CCLII. ad Joh. Episc. contra librum Pelagii, it. lib. de Corrept.  
& Gratia cap. VI. Ib. cap. XII. Comm. in Ps. CVIII. & in Ps.  
CXVIII. Conc. XV. denique libro II. contra Julianum cap.  
CCXVII. Autorem Qq. ex N. T. apud Augustinum qu. 75. Cy-  
rillum lib. XI super Joh. Leonem M. serm. III. de Anniversario  
die Assumpt ad Pontif. & serm. II. de Natali Apost. Petri & Pauli.  
Prosperum Epist ad Rufinum, it. lib. contra Collatorem cap.  
XXXV. Theodoretum lib. III. de Hæreticis Fabb. c. 5. Bedam  
in cap. XXII. Lucæ, Theophylactum in h. l. Oecumenicum in  
h. l. Euthymium in h. l. Quorum PP. omnium verba legantur  
apud

apud Launojum; partim etiam supra adducta jam sunt, unde ea repetere hic superseedemus. Hisce ex scholasticis, & aliis etiam Bellarmini æqualibus, Launojus addit, P. Damianum, Drogonem Ostiensem Epis. & Cardinalem, magistrum sententiæ, Innocentium III, Hugonem Cardinalem, Albertum M. B. Thomam, Bohaventuram, Autorem glossæ interlinearis, Nicolaum Liranum, Gvill. Okamum, Dionysium Carthusianum, Thomam, Cajetanum Cardinalem, Joh. Major, Joh. Arboreum, Joh. Benedictum, Joh. Gagnæum Parisienses, Dominicum Bannes, Joh. Maldonatum, Andr. Coppensteinium. Qui omnes hanc nostram sententiam ex Patrum supra adductorum testimoniis suo confirmant calculo, & à quibus Bellarminus pervulgatam, optimam & præcipuam hujus loci explanationem discere potuissent: Sed hos studio se ignorare simulat; Imo hoc ipso, ut idem Parisiensis Theologus eidem exprobrat, vel suos æquales & socios Maldonatum, Gabrielem a Porta & Stephanum Menochium Societatis JESU, quiq; in secunda hac deprehenduntur fuisse sententia, negat, & adversatur tum temporis Romæ sedenti Pontifici Alexandro VIII. qui Augustini dogmata omnia, inter quæ & hæc de Petro sententia toties inculcatur, vindicaverat & asseruerat.

§. IX. Denique expositionem tertiam, in qua Dominus duo privilegia Petro impetravit, unum pro se, alterum pro successoribus, Autori nulli tribuit Bellarmiuus. Ex quo recte idem Parisiensis Doctor colligit, expositionem hanc plane esse novam, eamque aliam sui à Bellarmino architectum non habere. Ipse tamen, Cardinalis expositionem, quæ nova est, veram esse dicit, ceteras quæ antiquiores sunt ut falsas repudiatur. Tum expositionis hujus tertiae pars prior est secunda expositio, quam Bellarminus nonnullis tribuit, qui suo tempore vivebant. Præterea Bellarminus expositionem suam tertiam sic ex duobus ador-

adornat privilegiis, quasi Patres, Chrysostomus, Augustinus,  
 Theoph Prosper, inter se de industria convenerint, ut alii verba  
 Lucæ de priori privilegio, alii de posteriori intelligerent, Egre-  
 gium vero inventum, inquit Launojus, cuius opera Bellarm. me-  
 moratos Patres cuiuscunque alterius verborum Luce interpreta-  
 tionis fautores & adstipulatores reddere non veretur. Sic autem  
 ex Patrum testimoniis mapalia facere, quam absurdum in The-  
 logicis & periculosum esse quis non videt? At Bellarminus, non  
 negant, inquit, (scilicet Patres, Petrum tanquam Pontificem  
 non posse, vi privilegii hujus, unquam docere aliquid contra  
 fidem) neque negare possunt, nisi velint plurimis atis Patribus  
 contradicere. Cum tamen ante Chrysostomum & Augusti-  
 nūm, secundum ipsum Bellarminum, nullus reperiatur, quā  
 verba Lucæ de tali privilegio intellexerit; Bellarminus ne u-  
 num quidem affert vel adferre potest: Tantum abest, ut pluri-  
 mos alios Patres nominare possit, quibus Chrysostomus & Au-  
 gustinus possint contradicere. Lucii enim I. & Felicis I. Pon-  
 tificum, qui hosce præcesserunt, Epistole à Bellarmino adductæ,  
 eodem judge (scilicet lib. II. de Rom. Pontif. c. 14.) incertæ sunt  
 & certis aliunde observationibus suppositæ, imo verba eorum  
 dem longe aliter esse capienda docet Launojus. Chrysost. vero  
 & Augustinum, voluisse futuris post se Patribus contradice-  
 re, absurdum & ridiculum esset dicere. Divinassent illi prius, fu-  
 turos esse aliquando Patres, qui verba Lucæ de secundo privile-  
 gio intelligerent: Profecto male divinassent. Nam è Patrum  
 nube tota nullus est, qui verba Lucæ eo modo, quo Bellarminus;  
 interpretetur. Sic Bellarmini strophas detegit Launojus cit.  
 epistola, hoc addens epiphonema: Ergo vide, quibus inceptis ille,  
 Bellarminus, suas implet paginas, eundemque & hoc nomine  
 perduellionis s. violatae professionis Fidei & Decreti Concilii Tridentini,  
 quod Sess. IV. juxta unanimem PP. consensum scripturas esse inter-  
 pretandas statuit, reum agens.

§. X. Possent hæc sufficere retundendæ & rejiciendæ falsæ Bellarmini hujus dicti expositioni. Verum ut eo dilucidius ejusdem absurditas pateat, singulatim privilegia hæc, quæ vi hujus dicti, Petro tribuit, videamus. Primo dicit impetrasse hic Petrum, ut ipse nunquam posset veram fidem amittere, quantumvis tentaretur à Diabolo. Sed privilegium hoc nullum esse facile patet. Primo quidem ex textu nostro: Eadem enim facilitate, qua ex priori versus parte infallibilitatem Petri Romanenses asserere conantur, eadem ex altera parte vicissim, hæc destruitur, atq; obtinet hic illud Rabbinorum: *Nulla est objec-  
tio in Lege, que non habet solutionem a latere.* Deinde si Christus hac sua intercesione Petro impetrasset aut impetrare voluisset absolutam in fide infallibilitatem, consequens fuerit, Petrum post has Christi preces nunquam errasse. Sed posterius dici nequit; erravit enim Petrus & quidem gravissime in abnegatione Christi, erravit non intelligens scripturam de resurrectione Christi, Joh. XX. 9. neque fidem habens nuntiis resurrectionis Christi, & propterea increpatur, Luc. XXIV. 11. Praeconceptam de terreno Christi regno opinionem retinuerat, adhuc Act. 1. 6. Imo post ascensionem Christi & largitionem Spiritus S. Petrus reprehensibilis fuisse perhibetur, accusatusque à Paulo, quod non recte ad Evangelii claritatem ambularet, quodque gentes sua autoritate ad judaizandum impelleret, ad Gal. II. 14. Ergo utique Petrus errare potuit in fide, & falsum est Bellarmini assertum; Petro Dominum impetrasse, ut non posset unquam cedere, quod ad fidem attinet, & aliquid amplius Petro concedi quam donum perseverantie, quod omnibus commune est. Deniq; ex ipsis Bellarmini assertis, contrarium sequitur: Concedit enim Petri defecisse charitatem in abnegatione Christi: At secundum ipsius hypothesin, charitas fidei salvificæ forma est, remota autem & destructa forma res ipsa utique perit. Excipit Bel-

Bellarminus: Pro perseverantia omnium Apostolorum rogavit Christus, Joh. XVII. 9. non erat igitur ratio, cur bis pro Petri perseverantia oraret? Quæ vero est absurditas Christum bis pro Petri perseverantia orasse. Est adhuc hodie ad dextram DEI & interpellat pro nobis, Rom. VIII. 24. I. Joh. II. 1. non semel tantum, sed infinitis vicibus. Deinde invertimus argumentum; Christus oravit pro omnibus electis, & tamen aliqui electorum in fidei & morum controversiis dijudicandis errant. Instat porro: Dominus hic speciale aliquid impetravit Petro, perseverantia autem in gratia est donum commune omnium electorum. Recte; speciale tamen illud quod Petro obtinuit, mox indicatur: *Tu autem conversus, &c.* Scilicet speciale Petri peccatum, & majus quidem reliquorum Apostolorum peccato specialem requirebat gratiam: Atq; hoc donum est peculiare quod Petro communicatum, in aliorum utilitatem, quo reliqui minus graviter lapsi, & ad DEUM conversi in fide sua non mediocriter confirmati sunt. Denique cum dicit, tale quid Petro concessum, quod etiam ad Successores ejus pertineat, petit manifeste rō iv dēc̄m. Et si donum perseverantiae non pertinet ad Petri Successores, ut ipse Bellarminus concedit, ergo nec donum infallibilitatis, quia hoc illo majus secundum eundem esse creditur.

S. XI. Alterum privilegium Petri Successoribus, Pontificibus Romanis, infallibilitatem in rebus fidei promittit, *ut in Sede ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra fidem.* Verum & hocce privilegium neque in verbis textus, neque in expositione Doctorum Ecclesiæ antiquorum, neque in experientia ipsa fundamentum ullum habet; unde nullum & fictitium esse cognoscitur. Nam primo Christus hic non loquitur de fide doctrinæ, sive de doctrina fidei, quam qui habent perire etiam possunt; sed de fide justificante & salvifica; propterea enim Satanæ expetebat Apostolos, ut cribraret eos tanquam triticum

i.e. ut fidem eorum concuteret, & penitus excuteret, ut non amplius in frumento Dominico locum haberent, sed tanquam paleæ, ad instar Judæ in æternum abjicerentur. Quomodo ergo hæc ad fallibilitatem in doctrina Successorum Petri quadrant? Secundo Bellarminus ipse Parisiensium explicationem hoc modo refellit: *Dominus pro illo rogavit, cui ait: Et tu aliquando conversus; At hoc certo non potest Ecclesia toti convenire, nisi dicamus totam Ecclesiam esse aliquando pervertendam, ac postea iterum convertendam.* Hoc ita posito, Bellarmini verba in Bellarminum retorquemus. *Dominus pro illo rogat, cui ait: Et tu aliquando conversus: Ergo debent omnes Petri Successores Christum aliquando negare & post converti: Ast hoc non concederit Bellarminus; unde mox dicit, verba hæc convenire Petro ut privatæ personæ & esse personale donum.* Tertio unde probabit Bellarminus donum hoc infallibilitatis concessum Petro transire & derivari in ejus Successores, & Pontifices Romanos, eosdemq; solos Petro succedere? Vid. Disput. in Matth. XVI. 19 s. XVII. Præterea; Sic Christus hac sua intercessione successoribus Petri donum infallibilitatis impetravit, utique etiam reliquorum Apostolorum Successoribus illud donum impetravit; Connexio est manifesta. Nam Christus non solum pro Petro, sed etiam pro omnibus Apostolis oravit, Joh. XVII. 9. cum omnes ad cibrationem à Sathanæ fuerint postulati; Consequens non concedunt Pontificii, cum solius Petri in Sede Romana Successoribus hoc privilegium tribuant, ita ut etiam ipsius Petri in Sede Antiochenæ Successoribus illud derogent. Confer. Disp. citata & altera in Joh. XI. 15, 16 s. XVIII. & sequ. s. XII. Sed & ita argumentamur contra Bellarminum: Si Christus hic orasset, ne Pontifices R. unquam in fide errarent, non fuisset exauditus, nec impetrasset quod petiisset. Consequens non solum absurdum est, sed etiam impiū &

blas-

blasphemum, Joh. XI. 42. Hebr. V. 7. Consequentia probatur ex Historia, quæ abunde testatur Pentifices R. in questionibus fidei & morum consultos & Decretalibus Epistolis Ecclesiam docentes, proindeque, ut loquuntur, ē Catheārā loquentes, à veritatis tramite deviassē. Sic Eleutherius sive quisquis alias Rom. Pont. literas pacis misit ad Montanistas & postea revocavit, ut testatur Tertullianus lib. contra Praxeam cap. I. p. m. 844. Victor ob sententiam excommunicatoriam in Asianos Episcopos latam, acerbe reprehensus legitur à cōteris Episcopis apud Eusebium lib. V. H. E. cap. XXIV. Stephanus, qui in oppositum Cypriano errorem incidisse videtur, omnium hæreticorum baptisimata, sive in nomine Trinitatis, sive fecus collata (sic enim mentem ejus intellexerunt Cyprianus & Firmilianus) approbans. Sec. IV. Liberius radio victus exilio & heretice (Arianorum) pravitati subscribens Romanam quasi vīctor intravit, scribit Hieron. in Chronic. Eodem Sec. Damafus improbam professionem fidei Vitalii Apollinaristæ comprobavit, atque ē aīrātō, ex simplicitate fuit deceptus, unde & postea eandem revocavit, ut testatur Gregor. Nazianz. Epist. altera ad Glenodium. Sec. V. Innocentius I. ep. XCIII. inter Augustinianas Tom. II. Oper. ad Episcopos Concilii Milevitani definit, parvulis necessariam esse Eucharistiam, quam tamen sententiam Patres Tridentini sub anathemate dominant. Sess. XXI. can. 4. Sec. VI. Vigilius Papa impulsu jussuque Theodore Imperatricis doctrinam Eutychianam approbavit, ut constat ex Liberato. Denique Honorius Monorheleta fuit & à sexto septimoque Concilio Gen. damnatus, ut eorum acta testantur. Evidēm varia hic Bellarminus lib. IV. de Pont. R. cap. 8. & sequ. excipit, hosque omnes à crimine hæreseos purgare conatur, sed frustraneo labore, ut inter alios ostendit Lud. Elias du Pin, Parisiensis Doctor de antiqua Ecclesiæ disciplina Dissert. Historica V. §. 3. Idem confirmatur ex recentiorum

tiorum Pontificum pugnantibus inter se definitionibus. Veritas enim cum una sit, nunquam potest secum invicem pugnare, nec potest aliquo tempore falsum esse, quod aliquando verum fuit. Hoc autem Pontificibus recentioribus usu s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> venisse ut contraria definirent, & unus alterius acta rescinderet, haud ignorare possunt, qui in Jure Canonico paululum versati sunt. Exempla hujus rei vid. ap. du Pin c.l. §. 4. Accedunt ipsorummet Pontificum fallibilitatis suae confessiones, inter quas memorabilis est illa, (quam laudatus Doctor Parisiensis §. 5. ex Tom. VI. Specielegii Dacheriani protert,) Gregorii XI, qui in testamento suo ita profitetur : *Volumus, dicimus & protestamur ex nostra certa scientia, quod si in Consistorio, in Concilio, vel in sermonibus, vel in collationibus publicis vel privatis ex lapsu lingue, aut alias ex aliqua turbatione, vel etiam letitia inordinata, aut presentia Magnatum, ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliqua distemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate aliqua, dixerimus erronea contra Catholicam fidem, quam coram DEO & hominibus, ut tenemur, pre ceteris profitemur, colimus, & colere cupimus; sed forsitan adherendo opinionebus contrariis fidei Catholica scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam religionem obloquentibus, illa expresse & specialiter revocamus, detestamur & habere volumus pro non dictis.* H.I. Tandem ignotam fuisse Bellarminianam dicti hujus explicationem, quin in universum non errandi privilegium, quod Ep. R. tribuitur, per X. & amplius Secula ex Historia Ecclesiastica ad oculum patet. Si enim solus Pontifex pro infallibili omnium controversiarum Judice habitus fuisset; Cui usui fuissent Concilia, imprimis Oecumenica? Quid opus erat Ecclesias Pastoribus orbari ad cogenda Concilia, quorum Judicium non pluris fieri deberet quam unius Episcopi Romani. Et quare ipsi Pontifices Ro-

Romani, ad causas Ecclesiasticas finiendas Synodos petierunt convocari? Sic Liberius ad Athanasii causam dijudicandam Synodus petiti à Constantio; Innocentius Synodum fieri voluit ad causam Chrysostomi examinandam; Leo ad causam Eutychis retractandam, rescindendumque Latrocinii Ephesini decretum, Synodum universalem necessariam esse duxit. Sic & ali. Hoc sane Episcopi illi Rom. nunquam egissent, si quidem se pro infallibili bus controversiarum Judicibus habuissent. Denique si infallibilitas Romani Præsulis fundamentum ullum in scripturis haberet, certe damnandi forent omnes illi, qui ab ejusdem judicio dissensere, illudque insuper habuere. Sic omnes Episcopi Asiatici, qui se opposuerunt Victori in controversia celebrandi Paschatis essent inculpandi. Hoc tamen non sit, sed Victor potius ab Irenæo propter excommunicationem Episcoporum Asiaticorum corripitur. Euseb. lib. V. H. E. c. 24. Similiter, si tempore Stephani compertum fuisset R. P. non posse errare, Cyprianus & Africani Præsules, nec non Dionyssius aut alii Orientis Episcopi in Stephani sententiam pedibus ivissent, nec disciplinam suam in rebaptizandis hæreticis contra ejus autoritatem mordicus retinuissent; Certe Augustinus hac de re agens lib. II. de Baptismo c. 5. supponit eos illæ sa fide & charitate, in re à Concilio nondum determinata, à Stephano dissensisse. Ipsum quoque Concilium Africanum in Epist. ad Cœlestinum Pamam afferit minus posse errare Concilium provinciale in judicio quam Romanum Pontificem. Nisi utique, inquit, sit aliqua qui credat unicuique nostrum posse DEUM inspirare iudicii iustitiam & innumerabilibus congregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Pand. Canon. Eccl. Gr. Bevergi Tom. I. p. 676. Eadem est sententia Concilii V. Generalis Collat. 8. Tom. V. Concil. Concilii Basileensis à Pontifice Eugenio IV. approbati & pro Oecumenico declarati. Epist. Synodica Tom. XII. Concil. Addi potest Synodi Constantiensis Sanctio, quæ Concilium Papa superiorius esse definitivit; quod verum esse non potest nisi Pontifex errori sit obnoxius. Agmen claudere possunt tot Academiarum, Parisiensis, Herfordiensis, Cracoviensis, Viennensis, Colonensis, &c. tot Theologorum celeberrimorum decreta, Pontifici R. infallibilitatem abjudicantium, quæ legi possunt, apud Launojum part. I. Epist. IV. ad Barilonium & du Pin de Antiq. Disc. Eccl. Dissert. V. §. 7. & ult. Quæ in contrarium afferuntur à Bellarmino peculiari discussione vix digna esse videntur, & maxime sunt testimonia supposititia, vel quæ id non dicunt, quod eos dicere vult, vel etiam sunt officiosæ & per exaggerationem, ut loquitur du Pin, prolata.

S. XIII. His expeditis facilis quoque suppetit responsio ad Consecratio-  
num illud quod Bellarminus, una cum aliis, Salmerone, Barradio, Cornelio  
à Lapide &c, elicit ex verbis, *Tu conversus confirma fratres tuos*, lib. I de Pon-  
tifice R. c. 20. *Petrum fore Principem & Caput fratum suorum.* Rationem ex-  
ponit lib. IV. de P. R. c. 3. *Confirmare fratres convenient homini ut caput est &*  
*Princeps aliorum, ideo transit ad Successores;* & paulo ante: *Ecclesia semper*  
*indiget à quo confirmetur, cuja fides deficere non posse.* Frustra enim hæc di-  
cuntur: Nam confirmandi officium non arguit nec præsupponit Primatum  
Monarchicum. Dicit Apostolus se misisse Timotheum ad Thessalonicenses  
εἰς τὸ ἅγιον εἶπεν αὐτοῖς συναντήσας. I. Thessal. III. 2. At, num propterea  
Timotheus est Princeps & Monarcha Ecclesie? Act. XV. ult. dicitur de Paulo  
περιτρανσιθαι Σύριαν & Κιλικίαν ἐπιτελέσσων τὰς ἐκκλησίας. Num hoc no-  
mine Paulo tribuitur Primatus? Apoc. III. 2. Angelo Ecclesiæ Sardicensis di-  
citur εὐαγγελίζειν τὰ λοιπά. Nec tamen in Ecclesia Sardicensi, sed in Romana  
Principem & Monarcham Ecclesie queri vult Bellarm. Denique de fidelibus  
promiscue di. εὐαγγελίζειν τὰς καρδιάς, Jacob. V. 18. Ergo omnes fideles erunt  
Pontifices. Multo minus ex demandato confirmandi munere infallibilitas ab-  
soluta inferri potest, alias sequeretur omnes omnino fideles illud donum ha-  
bere, cum omnes jubeantur sese invicem in fide εὐαγγελίζειν. Ecclesia quidem  
semper indiget aliquo à quo confirmetur, sed hoc officium nec soli, nec semper  
Episcopi Romani præstant. Non soli, quia Spiritus S. in verbo Evangelii lo-  
quens & per ministerium Ecclesiasticum efficaciter agens hoc confirmationis  
munere salutiter fungitur. Nec semper, quia Pontifices R. inventi sunt  
apostolatice à fidem tam doctrinæ quam cordis salvifica; quomodo ergo alios in  
fide potuerunt confirmare? Si converti à peccato non convenient Petro, nisi  
quatenus fuit persona privata, adeoque ad Successores non transit, ut ipse fa-  
tetur Bellarm. qui ergo immediate sequentia *Confirma fratres ad Successores*  
referri potest? Coxeteram confirmatio illa de qua Christus hic loquitur, sit ver-  
bo Evangelicæ consolationis, exemplo piaæ conversationis & his similibus: *At*  
*nullum horum Monarchicum dominatum vel absolutam in fide infallibilita-*  
*tem infert.* Concludimus itaque verbis Lucae Burgensis: *Mandat Christus*  
*Petro officium non dominandi, sed confirmandi in bono fidei scie-*  
*& charitatis.*

T A N T U M.


753962



56.

R

V/D





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres  
Inches

Blue

Cyan

Green

Red

Yellow

Magenta

White

Black

DISPUTATIO THEOLOGICA  
SUPER

VERBA CHRISTI AD PETRUM,  
**SIMON, SIMON,**  
ECCE SATANAS EXPETI-  
VIT VOS, UT CRIBRARET  
SICUT TRITICUM, SED EGO RO-  
GAVI PRO TE, NE DEFICIAT FIDES TUA: ET  
TU ALIQVANDO CONVERSUS CON-  
FIRMA FRATRES TUOS,

*Luc. XXII, 31, 32.*

O P P O S I T A  
INFALLIBILITATI, SIVE NON ERRANDI PRIVILEGIO  
ROMANI PONTIFICIS,

*Quam*

**DEI AUXILIO**  
INDULTU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ  
IN ACADEMIA REGIOMONTANA

*Publica ventilationi subicit*

**BERNHARD. von SANDEN,**

SS. Theol. Doct. & P.P. Extraord.

*RESPONDENTE*

**JOHANNE CASPAR OSUCHLANDO,**

Mulhus, Pruss, SS. Theol. Stud.

*IN AUDITORIO MAJORI*

Anno M. DC. XCVII, die Jan.

*Recusa, REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS, 1703.*

